

ignota, nostræ ætati reservata sunt; qua incognitæ qua-
quaversus regiones retectæ, gentes religione, lingua,
institutis, moribus diversæ, ad omnes mundi plagas obsti-
nata industria, assiduis maritimorum itinerum laboribus ac
periculis inventæ sunt.

M. D. LXXXVI.

Anno partæ salutis M. D. LXXXVI. Patrum animi a reli-
quarum rerum cura ad Illyricum conversi sunt; cum bel-
li incendium, quo Pannonia, Bossina, & Croatia conflagra-
bant, fese adeo prope eos fines intulisset, ut pene flammis ea
quoque provincia corriperetur. Nam cum diu de Clissa, mu-
nitissima arce, occupanda Uscochi agitassent, eaque de re cum
Politiae Comite, qui a Turcis defecerat, egissent, centum ac
quinquaginta sibi ex ea ditione adjunctis, noctu per insidias
arcem ingressi, custodes obtruncant, ac momento oppido po-
tiuntur. Postridie sexdecim Uscochorum myoparones subsidio
superveniunt; Cæfaris vexillo sublato, extemplo castellum Pa-
pæ nuncupatum ditione recipiunt. Clissæ suburbia solo
æquant, commeatus invehunt, seque ad Turcarum impetum
sustinendum comparant. Ea omnia cum Joanne Alberto, Spa-
latensi duce, qui novarum rerum cupidus una cum Vincentio
Cincio, Francisco Martinio, Nicolao Novato, aliisque ejus
sociis, Uscochis se adjunxerat, confecta fuisse nuntiaretur, ve-
rebantur Patres, ne eo vel ad pacem perturbandam aditus
fieret, vel saltē Cæsareanorum ac Turcarum concursu iis in
locis belli sedes constitueretur; medios vero inter se amicos
Principes gerere, ab omniq[ue] suspicione immunes præstare dif-
ficillimum rebantur. Hinc publica pietas urgebat; inde cum
potentissima gente diffidia ante oculos obversabantur. In hac
rerum perplexitate in eam cuncti ivere sententiam, ut Bene-
dictus Maurus, qui januarii initio legatus in Illyricum desi-
gnatus fuerat, in provinciam proficeretur, subjectos in of-
ficio contineret: ut a Clissa abstinerent, neque obortis se
immiserent tumultibus, curaret: in eos, qui Uscochis favis-
sent, animadverteret; qua severitate, qua clementia in mune-
re sibi delato uteretur. Præter copias ac triremes, quæ in Il-
lyri-

Clissa ab
Uscochis os-
cupatur.

Benedi-
ctus Mau-
rus in Illyri-
cum legatus
mittitur.